



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve  
Adolescentiae Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VVestphalorvm, 1615**

Duo pueruli martyres 3. Febr.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

bona spe temperabat. Interea adolescentis totum studio ad ædificationem incumbens; utilissima occupatione distinebatur. Atque hoc tandem opere probè perfunctum in Babylonem ad tres Sanctos pueros cum literis ab Episcopo destinatur, quorum ille tandem reliquias iterata profectione consecutus, Antiochiam deportauit. Cumq; Episcopus conuocato clero in prædicto templo sacra illa pignora sancte & honorificè deposuit, adducto sororis filio, & sacerdote ordinato, loco alterius conjugis illi despondet Ecclesiam, dicens: En tibi vxor. Sed eius ut par est curam gere. Hoc dictum sic affecit adolescentem, omnemque dimouit cupiditatem, ut maiore virginitatis fuerit deinceps captus amore, quam antea matrimonij.

## FEBRVARIVS.

*MARTYRIVM DVORVM PVERO-*  
*rum in vita S. Blasij Episcopi &*  
*mart. 3. Febr.*

**D**uo pueruli matrem suam inter alios martyres ad supplicia abreptam atque intrepidam coram Agricolao præside cōspicati, sic eandem alloquebantur. Veneranda mater nostra ne sinas nos in hac terra interire: sed quomodo nos impleuisti syncero & suauissimo tuo lacte, sic etiam regno cælorum adimple. Nec potuere generosos pueroruani ani-

animos à cōstantia dimouere spectata suę matris tormenta: sed cum eam pr̄terea vidissent iam iam ceruices ensi pr̄abituram, dixerunt. Coronæ vobis ô mater apud Deum paratæ sunt: nos proinde sanctissimo & forti athletæ Episcopo nostro & Pastori Blasio cōmenda. Et illa quidem martyrio victrix immortalitatem promeruit: filij vero tanquam maternæ virtutis h̄eredes suis etiam votis potiuntur, & B. Blasio ad æternos triumphos euolanti, cæli gladijs, suisq; decori laureolis sociantur.

PVERITIA S. REMBERTI, SECUNDI  
Archiepiscopi Bremensis apud Sur. Tom. I.

4. Februarij.

**B**Anscharius primus Bremensium pr̄eful aliquando in Galliam profectus, vidit pueros quosdā iocantes, inanibus ad ædem sacram cursibus festinare: at inter eos omnium fere minimum, grauiter incedere, pueriles levitates sollicitè deuitare, orationē cum timore & reuerentia peragere, signo crucis frōtem munire, & per omnia tanquam maturę ætatis hominem, egregiam pr̄ se ferre continentiam Animaduertens ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam diuini iam cultus & seruitij amore flagrare, accitis ad se parentibus eius didicit Rembertum eum vocari, ijsq; consentientibus, tōsuram ei & Ecclesiasticum habitum contulit. Paternaq; eum solicitudine prosecutus studiosè cœpit erudire. Quo pau-

D 5 cos